



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

11. Dies Junii. Tactus & joci, sunt morituræ virginitatis principia. S.
Hieronymus in vita S. Hilarii.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

II. DIES JUNII.

Tactus & joci, sunt morituræ virginita-
tis principia. *S. Hieronymus in vita S. Hi-*
larii.

Tactus. I. **N**unc pauca tangamus de Ta-
ctu. Hic sensus est omnium
infimus, & ad fœcē, ac col-
luvionem materiæ proximè
accedens, & remotissimè discedens à dignitate ani-
mi. Hinc Gregorius Nyssenus tres sensus in homine
vocat belluinos, pecudum proprios, Tactum, Gu-
stum, Odoratum, qui in cœno maximè voluptatis,
suo more volutantur, à quibus refugere oportet, tan-
quam à putri, & malè olenti cadavere. Idcirco in hoc
sensu moderando summa est cura adhibenda, quod
latè pateat illius vis, & in vita usus, undè infinitæ pro-
pè occasiones eveniant suscipiendæ labis, ob rerum
variarum contagionem. Hinc si tactus voluptas ho-
minem afflaverit, incipiet æstu libidinis furere, anto-
reque totus accendetur. Idcirco existimant magni
viri, nullum esse in homine vehementiorem sensum,
nullum magis in scelere impotentem. Est enim quali-
leno libidinis, qui & florem pudicitæ facillimè con-
taminet. Et quamvis leve quidpiam initio videatur,
emergit tamen, seque magis deinde accendit volup-
tas, & in corporis ipsius possessionem invadit. Sicut
enim miles dum in præsidium ducitur, si præfectus
legionis liberum ingressum in alicujus ædes inve-
niat, illic quidpiam armorum suorum, puta lanceam,

galeamque, aut scutum ponit. Et licet ob negotia egressus, foris esse dicatur, potestate tamen intus est, quod armis in eo loco positis jam propriam, sui que juris domum fecit.

II. Sic voluptas, vitiorum quasi legione stipatus, si per sensus irrumperere in animum possit, & veluti in aspectu lanceam, in auditu galeam, in manibus scutum suum defigere, tamen si à corpore abesse flagitium videatur, scelusque voluptatis, tamen sibi domicilium libido metata est, nec aberit diu, cum in sensibus velut in ædium vestibulo, arma reposita erit. Imò cavendum est ut non modò non corpore corpus, id est carnem, præsertim mulierum contingamus, sed ne res quidem alias, quæ proximè illas attingunt, cum in illis quoque fomes sit libidinis, scintilla voluptatis. In vestitu, in chiroteca, in sudario, lo delitescit Cupido, telum igneum ferens; tetigisse, uri est. Nulla stупpa vicina igni tam subito incendiatur. In momento aridum jecur est. Tange muliebrem stolam, aut mitram, aut tenues vittas, statim ut è cæsto Veneris vis veneni prodit, seque in venas, atque pectus insinuat, atque ita vitæ arcem mors subit. Hinc tetigisse Virginis vel strophium, est virginis, vel morturæ prælagium, vel morientis principium, vel mortuæ indicium. Tactæ aconito carnes, necant protinus illum qui gustaverit. Sed nullum est aconitum, quod celerius tactu animum perdit.

III. Tactus quàm sit præsens periculum tangenti, voluit toti posteritati manifestum reddere sui jam morientis exemplo Ursinus Presbyter, teste Magno Gregorio. Is vitam summa in severitate, castimoniaque

niaque egerat, penè in ipso gremio virtutis, a trioque cœli educatus. Tandem morbo lethali corripitur. Et cum motu, ac calore omni destitutus, jam animam exhalasse crederetur, accessit illius quondam uxor, cujus tactu, atque omni familiaritate, quadraginta jam annis abstinerat, quod omne tempus in sacrosanctis Ecclesiæ ministeriis, & divinarum rerum commentatione posuerat. Illa dum explorat, an flatus superesset aliquis, & vestigium animæ nondum abeuertis, tetigit, ut sit, ore suo hominis os atque vultum, cum ipsa morte luctantis. Qui mulieris tactum sentiens, ardore magno collegit vires omnes, quæ in corpusculo esse potuerunt, ad ea dicenda, quæ pro monito salutari futura essent orbi terrarum. *Recede,* inquit, *mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Hinc disce, nullum debere sibi fidere, quod adolescentiæ annos prætervectus, jam ætatis quandam maturitatem, constantiamque attigerit. Homo es, ideoque recusare non potes, quin possis pati humana. Quid tam porrò humanum, quàm per periculosum corporis tactum, labi in turpissimos animi actus. Non tantùm qui tangit picem, sed qui carnem, inquinabitur ab ea. Mihi dicenti occinit Poeta, qui illud non tam è Poetico Parnasso, quàm è cœlesti paradiso accepit:

Præcessit Tactus: sequitur mox impius actus.